



Diss. jur.  
93

Diss. jur  
**93**





Xmas. June, 93  
aa. 173/01

DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DISQUISITIVA  
JURIS CONSUETUDINARII JULIO-MONTENSIS  
CIRCA  
**CONNUBIALEM BONORUM  
COMMUNIONEM.**

QUAM  
DIVINÆ OPITULATIONIS FIDUCIA  
EX DECRETO  
MAGNIFICÆ AMPLISSIMÆQUE  
**FACULTATIS JURIDICÆ**  
IN ILLUSTRI REGIA TEUTOBURGENSI  
UNIVERSITATE  
SINE PRÆSIDIO  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI  
AD DIEM XXX. NOVEMBR. MDCCCLXXIII.  
HORIS, LOCOQUE SOLITIS  
PALÆSTRICÆ VENTILATIONI SUBMITTIT  
DEFENSURUS AUCTOR  
**JOANNES RUTGERUS AMBROSIUS DÖRSTEN**  
JULIACO - WASSENBERGENSIS.

\*\*\*\*\*  
TEUTOBURGI AD RHENUM  
TYPIS FR. AD. BENTHON, ACADEM. TYPOGRA.

1371 387/01

DEO,  
PRINCIPI, PATRIÆ,  
PATRONIS


S. D.

PRO O E M I U M.

**S**uper universa societatum materia pro modulo meo differere parantem non tam obvia rerum moles perculit, quam superiorum meorum hanc prolixitatem ut nimiam aspernantium veneranda authoritas retraxit.

Hinc præter affinia socialitati negotia, & innumeros illos terrâ, marique casus, queis ex Lege Rhodia vel directo, vel (æquitatis ratione, etiam citra affectionem consortium, damnorum, periculorumve communionem dictante) extenso ejusdem usu jus dicitur, alioquin lubenter transmissos, & ipsum titulum ff. & C. pro socio, quanquam originariam, ac principalem jurium socialium sedem obsequenti silentio supervenietus, ex jure patrio, scilicet circa consuetudinariam illam conjugum Julio - Montensis honorum communionem præcipua quædam, ac maxime usuvenientia decerpsi, ac per quæstiones proposita, salvo cujusque seniori judicio, resolvi, cætera ad corollaria alegando.

Quæ, qualiacunque sunt, æquanimi benevoli Lectoris censuræ, eâ, qua par est, verecundiâ substerno, securus veniæ, quam unicè pro laude pacis, dummodo meminerit, Novitium me jurisprudentiæ, non veteranum, nec voluminosos tractatus, sed modicam Dissertationem  
Candidato permitti.



DISSERTATIO JURIDICA  
CONTINENS  
DISQUISITIONES QUASDAM  
CIRCA  
CONSUETUDINARIAM  
CONNUBIALEM BONORUM  
SOCIETATEM  
DUCATUUM JULIÆ, ET MONTIUM.

---



*Quæritur imd<sup>o</sup> An, & qualis in patria  
Juliacensi & Montensi inter conjuges  
bonorum societas obtineat.?*

*I<sup>e</sup>c. Jure communi expeditum qui-  
dem est, inter conjuges ultra vitæ, &  
corporum consuetudinem nullam bo-  
norum communionem dari, neque  
Ordin. Jul. & Mont. de hac ex-  
presse quidquam disponit, nihilo tamen minus in veterata,  
ac notoria consuetudine receptum est, bona immobilia con-  
stante matrimonio acquisita communia esse virum inter  
& uxorem. ROSENTHAL de feud. cap. 5. concl. 66. n.  
3. Cap. 10. concl. 5. n. 22. Item meritissimus de patria*

A 2

Pro,

Procacellarius VOETS Hist. jur. C. Jul. & Mont. n. 92. n.  
 152. & in tract. de jure revol. cap. 7. n. 1. quod & cap.  
 12. exemplis, & præjudiciis illustrat, ac confirmat. Et  
 quanquam laudati A. A. mobilia silentio prætereant, anti-  
 qua tamen, & moderna observantia, perpetuaque rerum  
 judicatarum authoritas testis est, bona quoque mobilia, &  
 quidem tam in matrimonium illata quam stante eodem  
 acquisita conjugibus nostratisbus esse communia; nihil enim  
 impedit, quod mobilia in Cap. Ord. J. M. 95. §. So-  
 viel nun &c. in f. indistinctim dicantur sequi conjugem ul-  
 timo superstitem, eodem namque modo dicimus: mobilia  
 sequuntur personam, id est, dominum. J. a Sande L. 4.  
 t. 8. def. 7. vers. aliud judicium, & ab eo allegati. Asse-  
 rendum itaque, quod conjux ultimo superstes in casu non  
 exclusæ bonorum communionis aliam mobilium mediata-  
 tem jure successionis statutariæ acquirat, aliam communio-  
 nis jure tanquam dominus retineat. Probè etenim distin-  
 guendum inter lucrum statutarium, & dimidiā partem  
 bonorum communium. COCCEJI Disp. 53. Cap. 8. §.  
 porro probe etc. Quamvis & ipsa portio statutaria originem,  
 & causam suam connubiali societati proxime debeat. BOEH-  
 MER ad ff. T. IV. Exerc. 40. §. 9. Clariss. D. HOM-  
 EERGK Prof. Marburg. Dissert. de communione bonorum  
 inter conjug. nob. & illustr. per Germaniam exule §. 34.  
 Insuper nihil prohibet, vel implicat, ex pluribus causis  
 aliquid deberi, debitorem creditori, & credito rem debito-  
 ri, ac socium socio heredem esse per notoria. Quod au-  
 tem hæc communio indistincte se extendat ad universa  
 mobilia etiam illata, id exinde ortum traxisse mihi videtur,  
 quod bona mobilia in ordine ad conservandam familiam  
 ranti non, quanti immobilia habeantur, & onerosum ni-  
 mis esset, ad probandum acquisitionis tempus omnes, &  
 singulos contractus, quibus mobilia acquiruntur, in scrip-  
 turam redigere, aut utrimque illata inventarisi. Consue-  
 tudines denique Provinciales attendendas esse in illis, quæ  
 in Ord. Jul. & Mont, ordinata non reperiuntur, ipsamet

Ord.

*Ord. Cap. finali 108. præcipit. Conf. VOETS in Hist. iur. n. 91. & ab eo alleg.*

*Quær. 2dō. Quales igitur regulæ in dijudicanda no-  
strare consuetudinaria conjugali bonorum communione ob-  
servandæ veniant?*

*Rc. Regulæ societatis juris communis Romani. Pro-  
prias enim, & speciales juris Provincialis, aut authenti-  
cas Germanici universalis scriptas non habemus. Illas au-  
tem in æquitate naturali (quæ ubique tenet) plerasque  
fundatas cernimus, nec non consuetudinariam nostram  
connubialem bonorum societatem videmus cum illa, quæ ju-  
re Romano omnium bonorum simpliciter dicitur, essentiali-  
ter convenire. conf HUBER. Præl. P. 1. L. 3. Tit. 26. §. 2.  
vers. *imago.* Ac pauca illa, in quibus a doctrina Romana  
regulari differt, esse exceptiones, quæ pacto adjecto, vel  
consuetudini adscribendæ sunt. Ita unanimis fere D. D.  
fert opinio, praxis quotidiana comprobat, imo ipsem est  
*D. Conf. Cam. H. A. LANGE* a juris Romani doctrina  
in materia communionis bonorum conjugalis alioquin alienissimus saltem, ubi certa cuique conjugum portio assignata  
est, fatetur in sua jurisprudentia de comm. honor. Cap. 7.  
§. 26. vers. 1. ne dicam, quod eundem toto suo tractatu  
æquitatem legum Romanarum fere promiscue applicare  
coactum deprehendam:*

*Quær. 3tō. Quomodo igitur differat conjugalis  
nostras acquæstuum societas a societate, quæ jure Roma-  
no dicitur omnium bonorum simpliciter?*

*Rc. Societatem hanc bonorum conjugalem sic defi-  
niri posse existimo, quod sit *contractus de univeris indi-  
stincte mobilibus, nec non acquirendis stante thoro immobilibus*  
*pro consuetudine, & more majorum communicandis ad commo-  
diorum familiæ sustentationem, ac sobolis, mutuique amoris  
promotionem tacito consensu initus.* Connubialem autem hanc  
bonorum communionem contractum esse voluntarie, &  
tacite initum exinde satis appetet, quod despontati, aut  
etiam conjuges hanc communionem, vel societatem pœna-*

nuptialibus evitare, aut tollere omnino possint. Quod ergo nisi fecerint, tacite eandem agnovisse, ac more majorum nuptias contraxisse videntur arg. Cap. Ord. Prov. 94. pr. COCCEJI Disp. 53. Cap. 3. pr. clariss. Prof. HOMBERGK supra cit. Diff. §. 11. in f. §. 41. in f. §. 42. Quoad substantialia itaque nullam invenio differentiam, nisi quod quoad mobilia, removendæ difficultatis gratia sit ampliata, ita, ut non solum mobilia titulo etiam mere lucrative acquirenda, sed & ante contractam hanc societatem acquisita fiant communia, & quidem tam haec, quam postea acquisita immobilia indistincte absque ulla traditione, aut cessione communicentur. STOCKM. Decis. 49. n. 1. §. seqq. Decis. 54. n. 4. & Decis. 59. n. 2. Sande Lib. 2. T. 5. def. 6. Wesel cap. 2. n. 11. p. 97. Huber. Pral. Lib. 17. T. 2. Etenim tam uxor, quam maritus in casum improlis matrimonii de medietate acquæstus immobilium (salvo superstitione ulufructu) libere disponere potest, licet nunquam vere tradita, vel cessa sit, prout quotidiana testis est praxis, & experientia. Reliqua, in quibus differt, sunt tantum accidentia COCCEJI Disp. 53. cap. 3. §. 1. adjecto tacito pacto, vel consuetudini adscribenda, scilicet quod maritus sit institor, & praefectus societatis, ut infra ostendam, quod rationes non reddat, quod in hanc communionem, vel societatem non veniat fundus retractus jure acquisitus, quoniam hoc juri protimiseos in favorem familie introducto è diametro repugnaret, pretii nihilominus medietas comm. divid, judicio venit refundenda. a Sande Lib. 2. T. 4. def. 3. §. porro, & §. res permutata in f. Ubi etiam dicit, prædium pecunia è venditione prædii proprii alicujus conjugis redacta emptum fieri commune, ita tamen, ut pretium venditi hujus prædii communi dividendo judicio recuperari possit. Verum idipsum æquitas, & regula societatis omnium bonorum simplicis postulare videtur, ut sors cuique sua finita societate restituatur RODENB. de jure conj. t. 2. cap. 4. §. 26. Quamvis enim in ordine ad dominium pecunia in particularibus regu-

regulariter non succedat in locum rei, aliud tamen est in ordine ad obligationem restituendi arg. eorum, quæ habet ENGEL ad DECRETAL L. 3. T. 27. n. 23. in f. VOETS de jure revol. cap. 12. exempl. 8. in not. Inter reliqua discrimen reperire est in eo, quod liberi communnes de bonis communibus dotentur. Ord. Jul. & Mont. Cap. 73. & Cap. 95. §. Da aber vers. und sollen.

Quær. 4to. Cujus loci statutum, vel consuetudo in dijudicanda communione attendenda veniat?

Re. Domicilii mariti, non autem contracti matrimonii, nisi hic vel actu, vel destinatione sit domicilium mariti; hujus enim forum, & domicilium uxor sequitur, per destinationem autem in loco maritalis domicilii matrimonium contractum intelligitur. RODENBURG de jure conjug. tr. prælim. t. 2. cap. §. n. 15. pag. 90. cum destinata inducant naturam rei principalis arg. L. 2. C. de bon. vacant. Huc referti meretur L. 65. ff. de judicatis. L. f. §. 3. ff. ad munic. & RANGE de comm. bon. conjug. cap. 3. §. 6. ubi & pag. 70. eleganter pertractat, & dijudicat, quodnam quoquo casu domicilium mariti censatur.

Quær. 5to. Num consueudo hanc communionem fundans sit realis, ut territorii finib[us] limitetur, an personalis, ut ultra illud se extendat?

Re. Abstractivè ab omni praxi forensi loquendo rem breviter sic definiendam puto: Constatuendo hæcce ex uniformiter repetitis, & frequentatis majorum nostrorum similem connubialem bonorum societatem pacientium expressis conventionibus procul dubio ortum suum traxit, proindeque majorum illas expressas conventiones hodiernum repræsentat. RODENB. de statut. diversit. t. 2. c. §. n. 14. pag. 8f. Corin. cons. 25. pr. &c. Cui & adstipulari videtur quod STOKM. docet de jure devolutionis cap. 4. n. 3. & 4. Verum expressæ illæ majorum communionem pacientium conventiones territorio adstringi nec debuerunt, nec pro forma consuetudinariae nostræ societas.

cietatis potuerunt. Non debuerunt, quia regulariter omni jure indubitate licitum est, sociis non conjugibus, quidni locis simul conjugibus? alterius territorii prædia (suppositis solennibus alibi forte ad consequendum dominium requisitis) acquirere. Siquidem societas, vel communio est species alienationis inter vivos, ut ita in substrato nulla sit quæstio de successione (quam determinare cujusque loci legibus proprium esse lubens concedo) sed de acquirenda per contractum Societatis communione ipsa, vel obligatione ad communicandum. Ineptissime enim quis diceretur jure successionis consequi id, quod vel jure communionis pro parte indivisa jam habet, vel societatis judicio eidem est communicandum.

*STOCKM. Decis. 49. n. 6. §. Dissolutis.* Non potuerunt; cum alioquin sociates ita conveniant, ut maritus libera, & fere solitaria administratione gauderet Leoninam pravitatem sapuissent, quippe qui emendo prædia in ejusmodi ditione, ubi acquæstus soli cedit marito, uxorem enormiter defraudassent, ac proin nullæ, invalidæque fuissent. *L. 29. L. 30. ff. pro soc.* Suapte ergo sequi existimo, consuetudinem conjugalem bonorum societatem foventem nullo modo territorii finibus fore coarctandam.

Sin itaque consuetudo ejusmodi alio jure censi haud debeat, quam actus illam constituentes, ulterius pleno fluit alveo, etiam societatem secundum ejusmodi consuetudinem tacite contractam, eaque informatam eodem cum ipsa loco esse habendam.

Aliorum insuper celeberrimorum virorum, & A. A. v. g. *STOCKM. Decis. 121. n. 7. & 8. Wesel. de con-nub. bon. societ. n. 110. & seqq. RODENB. de statut. diversit. t. 2. c. 5. n. 12 in f. n. 14 & 15. D. LANG. de comm. bon. conj. cap. 4. §. 11. VOETS in Hist. jur. n. 184.* pr. argumenta huc adminicuantia allegare, contrariaque aliorum longius refutare eo lubentius supersedeo, quo facilius est, litibus inde ob contrariam communio-rem, ac in judicando receptam hic alibique sententiam inveniendis per expressa pacta nuptialia obviare.

Quær.

*Quæc etd. Quænam res hic veniant sub nomine  
mo. vel immobilium?*

Res jure communi quidem solæ res corporales, quæ salvæ de loco in locum moveri possunt, dicuntur mobiles, immobiles, quæ sic moveri non possunt, ut res soli, vel quæ partem immobilium efficiunt, vel perpetui usus causa certo loco sunt destinatae. *L. 13. §. f.* *L. 14.* *L. 15. pr. ff. de aet. emt.* *L. 242. §. f. ff. de V.* *S. res incorporales, ut jura, obligationes, & actiones tertiam speciem constituunt.* *L. 15. §. 2. ff. de re judic.* *L. un. §. 7. C. de rei. ux. aet.* *L. 2. C. de quadrienn. præser.* Jure vero statutario, ac consuetudinario apud nos quedam circa hanc materiam specialia introducta sunt; spectant enim hic ad immobilia quoque. Erbzins, und Renten, Erbpfächte, Churmüden, Erbdienste und Gerechtigkeit. *Ord. F. M. Cap. 95. §.* So viel nun scilicet *VOETS* tr. de jure revol. cap. 4. n. 1. 2. 3. & 4. Item redditus redimibiles ex parte debitoris. *VOETS Hist. jur. n. 213.* denique per praxin judiciale aliquot abhinc annis hue relata sunt nomina judicialia passiva, quod tamen praxis moderna Dicasterialis eò rectius reformasse videtur, quo minus hypotheca etiam judicialis, seu accessoria naturam obligationis principalis, quæ personalis, & ad pecuniam, quæ est res mobilis, tendit, immutare queat, oporteatque contrariorum diversam haberi rationem. Ad immobilia itidem: Löserrenten, Pfandschaft, Gereidgeld, fort Hütten, so die Egge beschoren, und Weingarten, so mit dem ersten Band beschlossen, auch Jahrpfächte, und erschienene Erbpension, und Renten. loc. ord. cit. *VOETS Hist. Jur. n. 212. & seqq.* *BECKERS combin. practicab. comb. 2. n. 80. & seqq.* nisi redimibiles redditus, census, vel hypothecæ pactis nuptialibus, aliisve sint immobilificatae. *Ord. cap. cit. §. f. & arg. cap. 69. pr. vers. unter welche scilicet VOETS. Hist. jur. n. 251. & seqq.* Praeter enumerata tamen etiam res illæ apud nos pro mo. vel immobilibus habentur, quæ tales sunt de jure communi, vel speciali

confuetudine *ibid n. 250.* Actiones tandem ad rem immobilem competentes ad res immobiles, & v. v. referuntur. *GAIL. Lib. 2. Obs. 11.*

*Quær. 7mo.* An utrique conjugum circa regimen familiæ, & administrationem bonorum æquale, vel inæquale jus competit?

*H*e omnino inæquale; maritus namque omni jure, Divino, ac humano caput est uxoris, proindeque & reliquæ familiæ. Ac præterea jure nostro provinciali uxoris suæ curator est legitimus (antiquo nostro idiomate) *Mann und Mombar cap. ord. f. M. 94. §. f.* bonorumque societati præpositus, ut ita eidem non modo bonorum uxoris priorum, sed & communium administratio competit. Non tamen dicta curatela secundum regulas curatelæ ordinariæ æstimanda venit; siquidem hæc maritus non ut onus, sed ut honos data est, cum nec juret, nec inventarium conficiat, nec rationes reddat. *D. LANGE de comm. bon. conj. cap. 7. §. 4. pag. 166.* Quin intersit, maritus sit majorenus, nec ne, partim quoniam ius nostrum statutarium non distinguit, partim ex ratione adæquata, & eleganti *WEVERI Tr. de comm. honor. P. 1. tb. 19. §. 3.* dicentis: *Verius plerique minorem maritum plenissime sui juris constituant, ut non solum sua, sed & uxoria bona administret, quia per matrimonii naturam, ac dignitatem vir evadit familie caput, & paterfamilias, ac jus imperandi, & liberam potestatem commercia tractandi consequitur, secus metu restitutionis nemo cum eo contraheret, & interdiceretur ei quodammodo commerciis.* Integrum tamen in casu minorenitatis oportet esse judici, pro arbitrio, & circumstantiis aliquid mutare, quemadmodum ejus quoque manus intuitu majorenus furiosi, vel prodigi haud sunt ligatae. *RODENB. de jure conj. tr. præl. t. 4. c. 4. n. 2.*

Uxoribus autem omnem administrationem, vel alienationem rei etiam leviusculæ, seu ceconomicæ denegare, nec utriusque conjugis privata, nec publica patitur utilitas.

*Quæ-*

Quænam vero, & quanta eò spectent, difficile est generaliter definire; sed judicis ad circumstantias, & conjugum qualitatem respicientis arbitrio hocce relinquendum. *Wesel tr. 2. cap. 3. n. 37. Sc. ibique alleg. Dd. vid. omnino LANGE de comm. bon. conj. cap. 7. §. 13. per totum, & BECKERS comb. 2. a. n. 45. usque 59.* Moribus nostris videmus easdem tanquam à maritis rei cœconomicæ tacite præpositas indies in foris, ac tabernis esculentia, vestimenta, suppelæctilia, similiaque coëmentes. Id quod apud consues nostros Ruremündenses expresso statuto illic concessum reperire est *Part. 1. tit. 2. §. 2. n. 14.*

*Quær. qvō. An maritus Julio-Montensis bona paraphernalia uxoris citra ejus consensum recte alienet, & quid circa bona communia obtineat?*

*Ré.* Primum innuere quidem prima fronte videtur ipsa *Ord. J. M. cap. 24. §. f.* cum sola dotalia (quæ per tò: *Heyrhætsgüter* indubie denotantur *conf. §. 2. & 3. ibid*) ab alienandi potestate *nominatim* excludit. Sed hoc non obstante ex sequentibus rationibus placet negatiæ adstipulari, quam non solum jus commune, Sed & vicinarum Gentium peculiaria statuta, imo Ictorum nostrorum Primores usuali interpretatione prudenter defendunt. Non enim maritis talismodi alienandi facultas potest competere ceu pars, & sequela potestatis maritalis, quia hæc testante jure Justinianeo circa personalia matrimonii, uxoris, & familiæ regimen occupatur. Non ex impersonalitate uxorius, quia hæc non tanquam verè minorenus, aut mentis inops, sed sexu minor sub curam mariti eatenus concedit, caputque eo duntaxat intuitu dimittit, quod una domus biceps & æque principale regimen congruè non ferat. Non ex hac ipsa cura, quia illa hujus fines, intentionemque uxorius excederet. Non ex connubiali bonorum communione, quia illata hæc immobilia non communicantur. Non ex institoria societatis præpositura, quia hæc ultra res communes non porrigitur. Non ex maritali rerum administratione, quia hæc vendit.

venditione rerum administrandarum non exercetur, sed interit. Insuper maritis talis potestas non est necessaria; quia in concordi conjugio uxor in utilem unius, alteriusve prædii sui venditionem perlibenter consentiet, vel si pervicaciter renitur, judex imploratus defectum supplerere poterit. Est & periculosa, ac domnosa uxoribus, ejusque cognatis; quia taliter marito (quod improli præfertim conjugio extimescendum) uxorem, ejusque familiam bonis avitis sub quovis quæsito colore, & omnimodo spoliare liberum, ac expeditum foret. Congruenti igitur juris systemate providendum, ut sublatis fraudum, ac similitudinibus fomentis causa uxoris illæsa præstetur potius, quam vulneratae remedium queratur.

Ne omittam, quod *Ord. J. M.* citato cap. de solis dotalibus bonis ex professo agens illa NB. *impostorum* ab isthac maritali licentia vindicet, quæ ante promulgationem statuti circa dotalia (quoad paraphernalia non item) maritis usitata, aut usurpata fuisse videtur, forte ex eo, quod maritus legitimus uxoris suæ curator vi juris patrii, simulque ex jure communi dotis dominus haberetur. In paraphernalibus vero sola usus, aut ususfructus communio eidem competenter. Itaque præment. §. finalis non illico citra necessariam concludentiam eorum detroquendus est, ac si in cæteris uxoriis bonis (solis dotalibus exceptis) viro omnimoda alienandi potestas adstruitur.

Quemadmodum itaque de potestate mariti circa alienationem paraphernalium jure nostro statutario nihil invenitur determinatum, ita per cap. statuti nostri ult. remittimus ad jus commune, quo maritus in alienatione paraphernalium uxoris ejusdem indiget consensu. *arg. L. 8. & 11. C. de pact. conv. tam sup. dote. L. 6. C. de revoc. donat. STRVK. U. M. L. 23. t. 5. §. 6. ac ibid. citat.* Quin tamen intersit, consensus hic tacitus sit, an expressus. *Mean op. postb. Def. 59. n. 7. & 8. cum taciti, atque expressi, par sit virtus, STRVK. op. o. vol. 7. Disp.*

*Disp. 24. cap. 4. §. 7. ibique cit. prout inter alia nuper anno 1771 judicatum in Sachen Zanders wider Gebrüder Kellerstrah ad causam concursus creditorum wider Wittib Grashaus Hofr. A. Mettmann. Quoad bona immobilia è contra coacquisita, nec non mobilia etiam illata expedita res est, maritum talia bona inscia etiam, & invita uxore libere, sed bonâ fide, valide alienare posse. Maritus enim non modo curator uxoris est, sed & veluti institor, ac præpositus societati bonorum conjugali, ad quam prætaeta bona seu communia pertinent. Institor autem concessa intelligitur facultas vendendi, alienandi, negotiandi. Bald. ad L. nemo ff. pro soc. Didac. a Segura de hucris nupt. n. 50. & seqq. STOCKM. Decis. 48. n. 7. Dec. 55. & 57. veluti & hoc diversa confirmant præjudicia v. g. in Sachen Erbg. Zanders wider Apothekern Zanders Hofr. Stadt Düsseldorf den 9. April 1717. in Sachen Agnesen Kannegger wider Rutger Schenkel, und Huizen Hofr. A. Bergheim 1735. in Sachen Erbg. Adams wider Anton Trimborn Geheimraht A. Bergheim 1742. item in Sachen Nothövel wider Geussen. Nec obstat à Procan. VOETS in Hist. F. n. 164. relatum præjudicium, quippe quod de bonorum immobilium communium ejusmodi alienatione intelligendum est, quæ vel in fraudem uxoris, ut ex allegatis ibid. A. A. STOCKM. & GARS. clarissime liquet, vel hac mortuâ quoad medietatem devolutam nulliter facta est.*

*Quer. 9nd. Quinam sint præcipui connubialis nostræ bonorum communionis effectus reales?*

*Rc. 1) Quod matrimonio tam pro- quam' improli- ficato per mortem conjugis dissoluto conjux superstes alterius medietatis stante thoro acquisitorum immobilium æque, ac cæterorum bonorum suorum immobilium verus maneat dominus; hoc solummodo discrimine, quod deficiente prole dictorum bonorum dominium liberum sit, ac solutum, extante vero prole, in hujusce favorem, securitatemque frenetur, ac vinculetur. Alterius è contra*

*mediatis*, ut & reliquorum bonorum immobilium proprietas, quæ ad defunctum pertinueré, in liberos, aut, his deficientibus, in cognatos ejusdem plenè *devolvatur*, rese vato quoad sic devoluta parenti superstiti ad dies viæ usufructu. Unde quoque sit, ut ordinarie demum post mortem hujus usufructuarii, liberis deficientibus, inter utriusque conjugis cognatos immobilium communium divisio institui, proprietorumque ultimo defuncti conjugis bonorum successio deferatur respective, & proprietas morte prædefuncti modo devoluta cum usufructu consolidetur. Prout hæc omnia præter notoriam praxin haud obscure colliguntur ex *Ord. F. M.* cap. 70. cap. 74. cap. 75. §. 1. & 9. Und nachdem ic. L. 1. ff. de hered. vel act. vend. L. 94. ff. de acq. hered. L. 1. C. de bon. matern, STOCKM. Decif. 8. n. 4. Dec. 48. n. 4. 7. & 8. Dec. 49. n. 1. & seqq. Dec. 54. n. 4. & Dec. 59. n. 2. item de jure devol. cap. 5. n. 7. 8. & 9. cap. 6. n. 7. & 8. & cap. 13. n. 1. & 2. VOETS de jure revol. cap. 4. n. 18. cap. 7. n. 7. & 8. cap. 12. exempl. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 10. 19. 20. 22. 23. 24. 25. & 27. ibique respective in notis, Idem Hist. j. n. 158.

2) Quod conjux ultimo superstes, licet tam in casu fecundi, quam sterilis connubii universa eundem sequi dicantur mobilia *Ord. F. M.* cap. 95. §. so viel nun ic. GAIL. Lib. 2. obs. 10. n. 4. VOETS. Hist. j. n. 206. & 207. Veruntamen juxta antedicta vi bonorum communionis alteram horum medietatem quæ dominus retineat, alteram duntaxat proprie jure specialis statutariæ successionis consequatur.

3) Tandem evidenteriores, ac puriores effectus cernuntur in casu, quo conjuges hanc tacite contractam bonorum societatem pacto expresso tollunt, rerumque communium separationem instituunt. Quemadmodum hoc eisdem non modo arg. cap. *Ord. F. M.* 94. §. 1. Verum etiam communi UD. sententiâ concessum est *LANGÉ de comm. honor.* cap. 9. §. 7. & 9. Porro in casu, quo

quo conjuges ipsi utriusque vel consensu, vel culpâ separan-  
tur. Denique in casu, quo matrimonium utriusque  
conjugis ignorantia hucusque putativum nullum declara-  
tur. Ubi quippe conjuges acquisita stante thoro immo-  
bilis, universaque mobilia (exceptis casu ultimo illatis,  
*STOCKM. Decis. 62.*) oneraque, & commoda æquâ inter  
se lance dividunt. In casu vero divortii nullitatis, vel se-  
parationis, quo alterius nocens detegitur, ad ius com-  
mune, consuetudinesve Germanicas cum laudato *LANG.*  
*cap. cit. §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.* recurretidum dico, ad  
quem me ob proprieatatis brevitatis metam, casuumque di-  
versitatem referre cogor. Proindeque quoad obligatio-  
nes personales.

*Quær. 10mō.* Utrum conjux ad solvendum debi-  
tum conjugis antenuptiale stante adhuc matrimonio, vel  
etiam societate conjugali per separationem dissolutâ te-  
neatur?

*Ré.* Quæstio hæc distinctione illâ inter debita socia-  
lia, & non socialia ex æquo deciditur. Ad illa pertinent  
debita stante thoro, vel societate, & ex causa, qua so-  
cietati conjugali commodum aliquod ad licetum conjuga-  
le spectatis accrescit, contracta sunt. Omnia e contra de-  
bita, quæ nec in commodum societatis conjugalis, nec  
ad perfervenda huic incumbentia onera creata sunt, ad pas-  
siva non socialia referuntur. *STOCKM. Decis. 48. n. 7.*  
& seqq. *LAUTERB. Diff. de ære alieno in societ. conj.*  
*contr.* & *LANGIUS de comm. bon. conj. cap. 7. §. 25.*  
ubi quoque enumerantur species sub hac divisione con-  
tentæ. Ista utriusque incumbunt, hæc ex alterutrius bonis  
propriis præstanta sunt. *A. A. cit.* Quemadmodum igi-  
tur debitum ab alterutro conjugum ante matrimonium  
contractum non est sociale, ita nec utrumque conjugem  
socium in casu positivo onerare poterit.

Et quamvis secundum jus commune in ordine exe-  
cutionis in favorem debitoris primo mobilia veniant dis-  
fruhenda, non tamen ideo hæc magis, quam immobilia  
eredis

creditori simplici affecta sunt. Quamvis porro jus nostrum statutarium Cap. 74. in successione, seu titulo lucrativo onus aeris alieni mobile mobilibus imponat, minime tamen inde sequitur; ergo etiam, qui titulo oneroso v.g. societatis, exemptionis &c. mobilia acquirit, debita mobilaria persolvere tenetur. Nec video, quid nos ad recipiendum defraudationi aptum illud brocardicum: Die dem Mann heyrathet, heyrathet auch dessen Schuld, aut, inquam, contra sentiendum inducere possit; cum non agatur de jure, vel præjudicio tertii, sed indemnitate innocentis conjugis. Imputent namque sibi creditores, quod conjugem ante alienationem per bonâ fide tacite contraham nuptiis communionem factam non convenerint, aut solutionem non urserint. Et quid quæsio valebit creditor contra donationem remuneratoriam medietatis mobilium rite, & sine fraude factam? Sufficiat itaque hic creditoribus, quod si pecuniae creditæ in utilitatem alterius quoque conjugis versæ sint, actione de in rem verso eundem conceire possint. Verum ultra.

*Quær. 111d.* Num maritus delinquendo, ludendo, cavendo, & solus debacchando, si contractis exinde debitis ejusdem substantia insufficiens sit, afficiat partem coacquisitorum, aut bona paraphernalia conjugis?

*Rx.* Cum medietas acquisitorum dominio, & possessione tenus ipso jure spectet ad utrumque conjugem, quod apud nos (ne alieni juris, consuetudinisve testes adhibeam) præter ea, quæ habet *VOETS tr. de jure revol. cap. 12. exempl. 7. in voto*, vel exinde fatis liquet, quod totâ die tam uxor, quam maritus desuper, quando vinculum statutarium in favorem liberorum extantium non vetat, mortis causâ libere disponat (quod idem fieret in medietate mobilium, nisi hæc tanquam lucrum statutarium ultimo superstiti adscripta esset) quæstionis autem æs alienum juxta antedicta non sit sociale, seu ex quæstupendens, & ejusmodi contrahendo legem præpositionis transgressus videatur maritus, *STOCKM. Decis. 55. in f.*

ut taceam de Senatusconsulto Vellejano, & Auth. si qua mulier, non poterit conjugem quā sociam ullo modo onerare. L. 12. ff. pro soc. supra cit. LAUTERB. & LANGE. Si vero uxor titulo lucrativo ut hereditario alteram mobilium medietatem morte v. g. mariti ipsi delatam acceptaverit, omnino obligata erit per dicenda ad quæst. sequentem, qua

*Quær. 12mo.* Num conjux soluto per mortem matrimonio teneatur ad solvenda debita à conjugé ante matrimonium contracta?

Rx. Ut quoad debita immobilia expedita res est, quod sequantur heredem immobilarem, VOETS in Hist. jur. n. 213. cum onus reale fundum sequatur, & cum eo ad quemcunque transeat successorem, ita & quoad mobilia satis certi sumus in eum casum, quo quis heres existit, cum enim nomina mobilia activa, & passiva apud nos in successionibus partem faciant rerum mobilium, consequens est, ut, qui harum heres est, nominum dictorum quoque successor existat, eaque solvere teneatur, etiamsi ante matrimonium ab alterutro contracta sint, cum lucra, vel bona nulla intelligentur, nisi deducto ære alieno. Cap. ord. 74. §. 1. & cap. 95. §. 50 viel nun sc. ita tamen, ut & in subsidium, excussis etiam propriis heredis mobilis bonis, heres immobilis teneatur, ex ratione quod æs alienum respiciat totum patrimonium defuncti. VOETS in Hist. jur. n. 209. & 210. BECKERS comb. 2. n. 14. & 15. STOCKM, de jure devol. cap. 13. n. 3. 4. & 5. illâ etiamnum hoc casu observata distinctione, quod, si debita sint socialia, medietas acquæstus immobilis, quam heres immobilis successionis jure adeptus est, tanquam pro his proprie affecta, primo exutienda veniat, acquæstus enim cum effectu non intelligitur, nisi sociali ære alieno deducto arg. L. 30. ff. pro soc. L. 39. ff. de V. S. LANGE de comm. bon. conj. cap. 7. §. 26. pag. 230. ibique cit. Lauterb. STOCKM. Decis. 48. n. 7.

*Quer. 13to.* Annon forte conjux conjugis præfuncti sit heres necessarius?

R<sup>c</sup>. Ne vel minime; quod enim nullâ lege provinciali, vel consuetudine invenimus i. tructum, quâ contra jus commune asseri hoc poserit, quo quilibet prærer olim servos non modo delatae hereditati, verum etiam cuivis favori p<sup>ro</sup>p<sup>ri</sup>o s<sup>i</sup> introducto renunciare potest? L. 41. ff. de minor. I. 71. ff. ad L. falcid. L. 51. C. de Episc. & Cler. L. 29. C. de pacis. L. 16. C. de jure deliber. quod enim in gratiam alicujus concessum dignoscitur, non est in ejus dispendum reforquendum. C. quod ob gratiam de R. J. in 6. & in ducta ad unum finem non debent effectum contrarium producere. L. 14. ff. de adim. leg. L. 2. §. f. vers. aliquod contrarium C. de Jurej. propt. cal. dando. Kobl. ad Constit. Marchic. q. 7. n. 8. & 9. STOCKM. Decis. 59. n. 3. &c.

*Quer. 14to.* Quatenus igitur conjux renunciando lucro statutario, cæteraeque medietatis omnium mobilium, acquisitorumque immobilium ab onere æris alieni se, suaque liberare possit?

R<sup>c</sup>. Iterum distingendo: Vel debitum est sociale, aut etiam ejus proprium non sociale, & hoc casu sana ratio videtur dictare, quod, uti quis rem emptam in mare projiciendo se ab obligatione solvendi pretii neutiquam liberat, ita neque conjux taliter renunciando se se ab hujusmodi ære alieno solvere queat. Siquidem haec obligatio non ex possessione rerum, sed ex contractu societatis, aliisque veris, vel quasi aut delictis vel quasi natura sit, necesse est, quæ non tollitur, nisi præstatione ejus, quod in obligationem est deductum. Ita hic i. Decembr. 1739. in causa de Godesberg contra Bender judicatum fertur. Vid. etiam LANGE de comm. bon. conj. cap. 9. §. 8. pag. 287.

Vel debitum est non sociale ab altero conjuge contractum, & tum solâ repudiatione medietatis mobilium illius, quæ verum est lucrum statutarium (altera enim medietas

dietas non jure successionis statutariæ, quanquam vulgo ita simpliciter dicatur, sed communionis jure competit) tantum effici puto, ut ab hujusmodi debito, quantumcumque sit, omnino liberetur. Jure enim societatis ad tale nunquam fuit obligatus, & quis eum ceu heredem condemnet, cùm heres factus non sit, sed hereditatem statutariam repudiaverit, vel ab ea abstinuerit. Aut enim dicens, nullam apud nos mobilium inter conjuges communionem adesse, aut consuetudine, & praxi contrarium testantibus *Caput ord. nræ 74. §. 1.* in verbis: *Die bewegliche, und fahrende Haab, und Güter bleiben vc. dero wegen sie auch die Schulden zu zahlen verpflicht sind.* non tam crudè, & indiscretè intelligere debemus, quasi generali hac, & indefinitâ locutione cuiusvis generis debita, ac omnia mobilia continerentur, sed quemadmodum juris nostri ratio, & æquitas postulat, ut inter debita mobiliaria, & immobiliaria distinguamus, citatumque caput ad mobiliaria debita ratione heredis mobilis restringamus, *VOETS in Hist. jur. n. 209. 210. & 213.* ita rursum dicamus, quod debitum non socialibus à conjugi defuncto contractis obstricta non sit medietas mobilium ad superstitem jure communionis pertinens, sed illa medietas, cæteraque bona, quæ ad defunctum pertinuere, cùm ratio statuti in eo videatur posita, quod qui titulo lucrativo, vel hereditario bona mobilia defuncti acceptat, ad debita quoque defuncti mobilia teneatur. Quin quod hic in hereditate bona mobilia non intelliguntur, nisi omni ære alieno deducto *VOETS Hist. J. n. 210. BECKERIS combin. 15.* qui itaque hocce lucrum, aut mobilarem hereditam repudiat, aut etiam beneficio legis, & inventarii acceptat, ab onere quoque aut simpliciter, aut saltem ultra lucri hujus, vel hereditatis vires immunis sit, æquum, & iustum eit. *Mean. op. postb. def. 12. n. 8. & seqq.* Licet usumfructum bonorum defunctorum jam vere devolutorum, quæ deducto ære forte alieno supersunt, sibi refervet, cum enim ex alienum onus sit heredis, usufructuarius

satisfacit, si patiatur illud à sorte deduci. *Wesel tr. 2.*  
*cap. 3. n. 95. & L. 1. C. si cert. pet.*

*Quær. 15to.* Annon denique conjux conjugem superviventem usufructu statutario devolutorum, & medietate suâ mobilium testamento privare poterit, cùm per provisionem hominis cesset provisio legis?

*Ic. Negativè.* Inprimis etenim ejusmodi lucrum sub initio matrimonii secundum consuetudinem contracti conjuges sibi invicem tacito pacto videntur appromisisse, ac insuper lege provinciali confirmando hanc consuetudinem id ipsum expresse conjugi ultimo superstiti in omnem casum attributum reperimus. *Cap. Ord. f. M. 74.*  
*§. 1, & cap. 95. pr. & §. 50 viel nun;* *Quod autem ex lege speciali datum est lucrum, privatus auferre modis omnibus non valebit. Nov. 22. cap. 33.* ubi conjugi potestas privandi conjugem usufructu dotis, & sponsalitiae largitatis hac adiectâ regulâ denegatur. *STOCKM. Decis. 57.*  
*VOETS Hist. jur. n. 116. 117. & 211.* Nec mirum; in cæteris namque legitimis successionibus lex tantum consulit defuncto intestato, ut certum, ac justum heredem habeat, siveque legalis succedendi ordo (exceptâ legitimâ) duntaxat conditionalis est, si nimirum defunctus testamentarium heredem habiturus non sit. Quia legis provisione hic opus non est, cùm absque hac speciali legis dispositione nihilominus heredes legitimi modo essent determinati. Quod itaque lex hoc modo statuit, non potest esse in defuncti, ne herede destituatur, sed est in favorem ejus, cui hujusmodi lucrum specialiter addicitur. *Quapropter & hic solus favori, vel lucro huic renunciare poterit. Arg. L. 46, ff. de pactis, & L. 2. C. ut in poss. legat.*



COROL-

COROLLARIA  
EX OMNIFARIO JURE.

**J**us gentium universale est ipsum jus naturæ; particolare ipsum jus civile, quod quæque gens, vel civitas sibi proprium constituit.

I.

- 2) Maritalis in uxores potestas naturali potioritate, ipsiusque Dei Creatoris effato *Gen. 3. 16.* fundata pro vario nationum genio varie adstricta, aut taxata apud nos id humanitatis temperamentum recipit, ut non **ex** capite, non **ex** calce, sed **ex** costa viri formatas congrua subordinatione habeamus ut socias.
- 3) Legislatio Mosaica *Exodi. 21. 35.* in verbis: *Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vident (subintell. si damnicatus urgeat) bovem vivum, & dividunt pretium, cadaver autem mortui inter se dispergunt, exhibet bellissimum societatis fortuitæ, & parificationis prototypon.*
- 4) Davidica constitutio *R. 1. 30. 24.* *Æqua pars erit descendensis ad præmium, & remanentis ad sarcinas, & similiter divident, symbolizat cum conjugali nostra acquæstuum societate.*
- 5) Nec minus jure civili Romano approbata videtur per *L. 29. pr. L. 52. §. 4. pr. L. 76. ff. pro so. io §. 1. f. cod.* nisi sociis coëuntibus alter placuerit.

- 6) Virginem simulata matrimonii promissione seducens tenetur eam ducere ex justitia.
- 7) Ob murum non licet stipulari usuras, nisi compensatorias.
- 8) Parochus, cui aliunde de competentia provisum, circa Decimas non Divini, sed Ecclesiastici tantum juris assistentiam habet.
- 9) Insignia unius Familiæ uniformiter conferri alteri non possunt, quippe quo institutum hoc, ejusque finis omnino turbaretur. Hinc & tanto magis.
- 10) Inter Nobiles nominis, atque Insignium simultanea identitas præsumptionem facit gentilitiæ consanguinitatis vice probationis fungentem, & ab onere ulterioris relevantem, donec contrarium probetur.
- 11) Lex, quæ ignobiles removet ab acquisitione Sedium matriculatarum Ordinis Equestris der Landtags-fähigen Rittersitzen, aut quemlibet hujus ordinis, non apparente vindice consanguineo, ad protimisim admittit, saluberrimæ provisionis est, nec cuiquam facit injuriam.
- 12) Feudum novum concessum jure antiqui assuit naturam feudi antiqui.
- 13) Consensus à domino in oppignorationem feudi simpliciter præstitus ad usuras quoque, si ve interesse extenditur.
- 14) Denuncians manifestatus non est testis habilis contra inquisitum aliás forte absolvendum.
- 15) In Ducat. Juliæ, & Mont. bonum stemmatum

cum retrahere volens intra tempus legitimum  
recte convenit primum emptorem, quamvis  
hic non amplius possideat.

- 16) Bona stipatica vel immobilia conjugis superstitis omnino abusivè, defuncti è contra propriè devoluta dicuntur.
- 17) Socius rebus communibus in concreto diligentiam non medium tantum, sed omnem debet *L. 72. ff. pro. soc. s. f. 7. eod. L. 32. in f. ff. defos.* quanquam hæc mediæ in abstracto plerumque æqualis sit, cum paucissimi in rebus etiam propriis sint diligentissimi.
- 18) Ea, quæ in dotationem filiarum impenduntur nequidem societati omnium bonorum specialiter dictæ, nisi ex pacto adjecto imputare licet. *arg. L. 73. & L. 81. ff. pro. soc.*
- 19) Neque ab alimentatione suorum ad dotacionem hic valida argumentatio.
- 20) Socius ita dictus omnium bonorum simpliciter, et si non ipsas hereditates sibi delatas &c. bene tamen earum fructus communicare debet. *L. 7. 8. 9. & seqq. ff. pro. soc.*



reverberant in the sky. The sun's rays  
are reflected in the water and the clouds.  
The water is very still, like a mirror,  
reflecting the sun's rays and the clouds.  
The clouds are white and fluffy,  
like cotton balls floating in the sky.  
The sun's rays are bright and shiny,  
like diamonds scattered across the water.  
The overall atmosphere is peaceful and  
serene, with a sense of tranquility and beauty.  
The water reflects the surrounding landscape,  
showing the trees and hills in the distance.  
The clouds are scattered across the sky,  
with some darker ones on the horizon.  
The sun's rays are concentrated in the center of the frame,  
creating a bright focal point.  
The overall composition is balanced and harmonious,  
with the different elements of light and shadow  
working together to create a beautiful scene.  
The water is calm and reflects the light  
from the sun and the clouds.  
The clouds are white and fluffy, like cotton balls.  
The sun's rays are bright and shiny, like diamonds.  
The overall atmosphere is peaceful and serene.  
The water reflects the surrounding landscape,  
showing the trees and hills in the distance.  
The clouds are scattered across the sky,  
with some darker ones on the horizon.  
The sun's rays are concentrated in the center of the frame,  
creating a bright focal point.  
The overall composition is balanced and harmonious,  
with the different elements of light and shadow  
working together to create a beautiful scene.

